Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26908
Copyright: Admont, Benediktinerstift

urbe roma in tempore martini pape beatissimi in indictione viii imperante constantino
piissimo anno viiii suscipimus et glorificamus dominum nostrum iesum christum sicut isti glorificaverunt nichil
addentes vel subtrahentes et anathematizamus corde et ore quos anathematizave-
runt et quos susceperunt suscipimus glorificantes deum patrem sine initio et filium eius unigenitum
genitum ex patre generatum ante secula et spiritum sanctum procedentem ex patre et filio inenarrabiliter sicut
predicaverunt hi quos supra memoravimus sancti apostoli et prophete et doctores. et nos omnes subscribimus qui
cum theodoro archiepiscopo fidem katholicam exposuimus. XVI.

Intererat huic synodo pariterque catholice fidei decreta firmabat vir venerabilis iohannes
archicantor ecclesie sancti petri apostoli et abbas monasterii beati martini qui nuper venerat roma
per iussionem pape agathonis duce reverentissimo abbate biscopo cognomine benedicto
cuius supra meminimus. Cum autem idem benedictus construxisset monasterium britannie in hono-
re beatissimi apostolorum principis iuxta hostium fluminis uuiri venit romam cum cooperatore
ac socio eiusdem operis ceolfrido qui post ipsum eiusdem monasterii abbas fuit quod et ante sepius facere conse-
uerat atque honorifice a beate memorie papa agathone susceptus est petiitque et accepit ab eo
in munimentum libertatis monasterii quod fecerat epistolam privilegii ex auctoritate apostolica fir-
matam iuxta quod ecgfridum regem voluisse ac licentiam dedisse noverat quo concedente et pos-
sessionem terre largiente ipsum monasterium fecerat. Accepit et prefatum iohannem abbatem britan-
niam perducendum quatinus in monasterio suo cursum canendi annuum sicut ad sanctum petrum
rome agebatur edoceret. Egitque abba iohannes ut iussionem acceperat pontificis et ordinem
videlicet ritumque canendi vel legendi viva voce prefati monasterii cantores edocendo et
ea que totius anni circulus in celebratione sanctorum dierum festorum poscebat etiam litteris mandando que
hactenus in eodem monasterio servata et a multis iam sunt circumquaque transcripta. Non solum autem idem
iohannes ipsius monasterii fratres docebat verum de omnibus pene eiusdem provincie monasteriis ad
audiendum eum qui cantandi erant periti confluebant. Sed et ipsum per loca in quibus doceret multi in-
vitare curabant. Ipse autem excepto cantandi vel legendi munere et aliud in mandatis ab
apostolico papa acceperat ut cuius esset fidei anglorum ecclesia diligenter edisceret romamque redi-
ens referret. Nam et synodum beati martini pape c. v. episcoporum non multo ante rome celebra-
tum contra eos maxime qui unam in christo operationem et voluntatem predicabant secum veniens attulit
atque in prefato religiosissimi abbatis benedicti monasterio transcribendam commodavit. Tales
namque eo tempore fidem constantinopolitane ecclesie multum conturbaverunt sed domino donante
proditi iam tunc et victi sunt. Unde volens agatho papa sicut in aliis provinciis ita et in britannia
aliter qualis esset status ecclesie quam ab hereticorum contagiis castus ediscere hoc negotium reverentissimo abbati io-
hanni britanniam destinato iniunxit. Quam ob rem collecta pro hoc in britannia synodo quam diximus
inventa est in omnibus fides inviolata katholica datumque est illi exemplar eius romam per-
ferendum. Verum ille patriam reuertens non multo postquam oceanum transiit arreptus infirmita-
te ac defunctus est corpusque eius ab amicis propter amorem sancti martini cuius monasterio preerat